

in nullo proprio orbe prouecti, de loco in locum ἀνωμαλίας feruntur: stellæ uerò suis sedibus minimè moueantur. Exemplo est Cometas superiore anno & ab initio 78 fulgens qui in ortum tria signa integra & amplius percurrit, à primo apparitionis loco meridiem uersus, donec propinquus, in septentrionem cursum dirigeret. Motus in septentrionem paucis diebus ipsum æquatorem superauit, inde ad equiculi nares, delphinum ascendit, &c. Hæc loci mutatio cum stellis nullo modo conueniat, ut supra dictum est, sequitur inter illas & cometas ne hac quidem parte cōuenire. Quippe corporis simplicissimi unus est, isq; simplicissimus motus, circularis. Atqui Comete motum talem non habent, proinde simplicissima non sunt ut stellæ, &c.

REFUTATIO SVPERIORUM OPINIONUM.

CAPVT III.

QUOD ad Pythagoræ eiusq; discipulorum de Cometis opinionem attinet, qui cometam vnā ex septem errantibus dixerant, solutio ex VI. primi Meteororū cōstat. Si enim crinitum sydis, una esset ex dictis errantibus stellis, quæ sub radijs solaribus diu latuisset, tandemq; à sole aliquantisper digressa se conspiciendam præbisset, minimè competeret hoc stellis fixis. At est commune etiam fixis, vt crinem seu comam aliquando assumant. Nam quæ ad canem est, stellam Aristoteles se testatur coma: tam uidisse. Deinde si cometa esset una ex errantibus syderibus, semper sub zodiaco appareret. Atqui rarissimè uel nunquam sub zodiaco cōspiciuntur Cometae. Quin imò cometa aliquo ardente, sæpè septem errantia sydera sunt conspecta suis locis. Quod positus syderū anno 1531 & 1532 annotatus, satis confirmat. Reliquas opiniones indicabit facile quiuis, ex his quæ hucusque dicta sunt. Ergo cometas neque stellas fixas aut errantes, neq; naturæ cœlestis esse constat. Quoniam si naturæ cœlestis essent